IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 103v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



eterna felicitate gaudentes

Ps 69 In quo monet ut in solo deo confidamus et gloriemur

Vox prophete in persona generalis totius ecclesie que in presenti pacem perfectam habere nequaquam valet ideoque in angustiis et calamitatibus huius vite posita divinam implorat auxilium dicens

Deus qui solus iuvare potes in adiutorium meum intende contra pericula ne inimici prevaleant michi ad adiuvandum me festina quia si tardet misericordia tua graviora crescent pericula

Ecclesia emendationem prostolans inimicorum suorum ait

Confundantur .i. perversitatibus suis turbentur et revereantur qui querunt animam .i. vitam meam perdere

Avertantur retrorsum .i. a proposito suo malo et erubescant ne possint implere quod moliuntur qui volunt michi mala

Avertantur statim a proposito suo erubescentes velociter seu compellantur abscedere qui dicunt michi irrisorie euge euge .i. gaude gaude

Orans pro iustis ait Exultent et letentur in te in quo est lux et non in alio qui querunt te confitentes te magnificum et liberalissimum in dando confitentibus veniam qui diligunt filium tuum meores salvationis sibi a deo collate per eum

Vox ipsi xpiani Ego vero egenus sum continue gratiam divinitatis expectans et pauper ad beneficia tua suscipienda avide properans deus adiuva me a tribulatione mundana ubi cum viciorum adversitate pugnamus tua miseratione liberando Sequitur

Ps septuagesimus In quo monet ut in omni tempore totam spem nostram in domino ponamus

Vox cuiuslibet iusti